

27 23

D. A.
POSITIONES PHYSICO OECONOMICÆ,
DE

AËRE,

Ovas,

*Illiſtri Philoſophorum Aboenſ. Ordine
Suffragante,*

SUB MODERAMINE

CAROLI FRID. MENNANDER,

Scient. Nat. PROFESSORIS Reg. & Ordin.


L. Horisqve conſvetis,

Publice PRO GRADU defendet,

CASPAR BÆCK,

OSTROBOTNIENSIS.


Die IV. JULII ANNO MDCCXLVIII.



ABOÆ,

Excud. JOH. KÆMPE, Reg. Acad. Typ.

Goß auf halb 12 ft



POSITIO I.

Quamvis aēr ita tenue & subtile sit fluidum, ut aciem oculorum cludat, ex variis tamen ejus proprietatibus & effectibus perspicimus, illud esse ens corporeum. Graviter itaque hallucinati illi sunt, qui pro spirituali substantia aērem habuere.

POS. II.

Fluidi hujus partes impressioni cuicunque cedunt, unde collegerunt recentiores philosophi, eas esse & exiguae admodum, & se se mutuo vix tangentes vel attrahentes, adeoque sphæricæ potissimum figuræ. Si enim concipiuntur illæ vel cum Cartesio instar mollium plumarum, vel cum Boyleo ut tenues & flexiles pili, vel ad mentem Gvilelmini ut spiræ sphærice contortæ; oriretur inde aliqua tenacitas, oscillationi pendulorum moram ponens, quæ tamen in aëre non fuit observata. POS.

Possidet quoque aer gravitatem, ut alia corpora, specificam. Dum igne vel anthlia ex sphera angustioris colli, & epistomio instruita, expellitur aer, differentia vasis hujus vacui & aere pleni, ostendit aeris specificam gravitatem. Hac via, *Wolfius* observavit, pedem cubicum aeris circiter 585. gran. pondus possidere, adeoque ad aquam fere se habere, ut I. ad 846. & ad hydrargyrum, ut I. ad 11313. Alii tamen hanc gravitatem augent vel minuunt. Quid vel ex diversitate aeris & aquae, vel ex negligentia circa experimenta, ortum ducere poruit.

pos. IV.

Pressio & gravitas atmosphaeræ eadem cicer est, ac cylindri aquae ejusdem basos 31. ped. Rhen. aut mercurii 29. pollic. Hinc ab aere ambiente tantum premitur undique terra, ac si oceano aquo, vel mercuriali ad dictas altitudines esset circumfusa. Variations vero aeris respectu ponderis, quæ perpetuo eveniunt, intra decimam totius partem, terminantur. Si itaque atmosphera esset ubi-

⁴ qve ejusdem densitatis, ultra 26226. pedes non pertingeret ejus altitudo.

POS. V.

Diversam vero esse aëris in locis superioribus & inferioribus densitatem, tam ex gravitate ejus & hydrostaticis, qvam variis aliis conilitat indiciiis, & ad multo majorem altitudinem ille circumcirca adscendit, inconstanter tamen, ut jam altior, jam depresso sit.

POS. VI.

Atmospheram in duplēm regionēm dividere solent eruditissimi; inferiorem; qvæ est chaos universale naturæ, in qva effluvia ex triplici naturæ regno continentur, ubi nubium fulminum & ventorum sunt apothecæ, & in qva animantia terrestria, haud secus, ac aquatile genus in aquis, vivunt. Superior autem aër purus & simplex est, hinc etiam nativus & primitivus sivevit appellari,

POS. VII.

Ex fluiditate & gravitate aëris sequitur, qvod omne corpus in illo ponderatum, amittat tantam ponderis sui portionem, quantum massa aërea, ejusdem cum hoc corpore voluminis, ponderat. Pondus ergo corporum in aëre est vero aliquantulum minus. POS.

POS. VIII.

Elasticitas aëri competit, ut nimirum primi possit in angustius spatium, &, sublata vi comprimente, se iterum restituat; durante vero pressione, nisum qvendam exferat. Comprimitur vero aër in ratione reciproca ponderum, hinc est spatium, qvod occupat, inverse ut vis comprimens. Nimis vero compresus non amplius auscultat huic regulæ.

POS. IX.

Cognitis aëris proprietatibus, de gradibus caloris & frigoris, gravitatis & humiditatis, qvi illi insunt, accurate in qvolibet casu determinandis solliciti fuere philosophi. Hoc per thermometra, barometra & hygrometra obtinere conantur,

POS. X.

Ad animalium & vegetabilium, qvorum qvodlibet est sistema qvoddam machinarum, motum continuandum, aër adeo necessarius est, ut nullum ejus usura, vel per momentum temporis, impune carere possit.

POS. XI.

In vegetabilibus aër tam internus, qvam-

cx.

externus, promovet liqvoris itum redditum.
que, & facit, ut vegetari queant.

POS. XII.

AD sustentandam animalium vitam respiratio est absolute necessaria. Omnia eorum, ne infectis quidem exceptis, dum aer intercipitur, necantur. Aqvatilia fere omnia carent quidem pulmonibus, non tamen aeris beneficio & alterno respirio penitus carere possunt. Hinc sub densiori glacie & illa intercunt. Dææ illis etiam sunt loco pulmonum peculiares vesiculae, ubi aer semel receptus reconditur.

POS. XIII.

ILli, qui vel cum Jo Mayovio occultum vi-
tae cibum, vel cum S. F. Balduino ~~πατερ-περ-~~
uiav quandam in aere quærunt, vero majora loqvuntur, & phantasie propriæ ludibria in
aere pescantur.

POS. XIV.

IN oeconomia omni privata, si cum foenore illa exercenda erit, ad aeris conditionem & tempestatem variam sedulo esse respiciendum, nemo ignorat. Hinc quid singulis annis temporibus, pro aeris varietate oecono-
mo agen-

gendum sit, justa serie enarrant harum rerum
antiquiores & hodierni scriptores.

POS. XV.

Utpote nitro aëreo *Verulamius* magnam
vim ad vitam animalium prorogandam in-
esse credidit, unde ad longævitatem dedit con-
sillum, ut gleba recens singulis auroris naribus
applicaretur; ita nec defunt, qui, agricultu-
ram quod concernit, huic sibi in aere ho-
spitanti omnem agrorum fertilitatem adsignant.
Et sunt certe ejus hoc in negotio aliquæ par-
tes. Aëris quoque in terræ gremio præsentia,
eiusque, dum gleba aratro invertitur, intimis
or & copiosior in terræ poros accessio, fœcun-
ditatem soli haud parum promovet.

POS. XVI.

CUm pabuli, quo nutritur animalia, indeles
pro aëris ejusque contentorum & tempestatum
varietate multum discrepet, vel inde facile perspici-
tur, conducere aërem per quam multum ad ani-
malium sanitatem. Morbi vero eorum varii, ma-
gnas saepe strages edentes, non aliunde rectius,
quam ab aëris vitio deducuntur.

POS. XVII.

Fermentationis negotium quod attinet, quod to-
ties in œconomia uero venit, e. g. ad vinorum
præ-

præparationem, bonæ frugis cerevisiæ & panis pa-
rationem, in aëris moderamine potissimum consistit.

POS. XVIII.

Condituræ omnis, qva carnes & fructus a pu-
tredine custodiuntur, artificium in eo potis-
sum situm est, ut aëris accessus, viscosis & glu-
tinosis linimentis, a rebus conservandis arceatur.

POS. XIX.

Proprietatibus aëris, & potissimum ejus elasticî-
tate, nititur ollæ illius, qvæ ab auctore suo
Papinianæ nomen traxit, effectus, dum in vase sphæ-
rico vel cylindrico, probe clauso, per inclutum
aërem cum aqua, exiguo gradu ignis, immisæ
res omnes brevi coqvuntur, tincturæ & essentiae
extrahuntur, & ossa etiam durissima in gelatinam
dissolvuntur.

POS. XX.

Oeconomia publica, circa redditus civitatis pro-
movendos, & rite distribuendos, occupatur.
Reqvirit hæc cognitionem status physici regionis,
ut de ipso fundo, aquis, mineralibus, sylvis &c.,
maturum & exactum ferri possit judicium, & quo-
modo proventus terræ augendi sint, opicia e-
mendanda, machinæ variæ inveniendæ & appli-
candæ, perspiciatur; adeoque ad veram principis
& reipublicæ utilitatem singula convertantur. Qvis
vero non videt, horum vix quidquam, absqve cu-
ratori aëris cognitione, ne tentari quidem posse?

